

# URANII PRESBYTERI

## EPISTOLA.

(Ex Surio.)

### EPISTOLA URANII PRESBYTERI.

DE OBITU S. PAULINI AD PACATUM.

*Ex ms. Trecensi edita a Chiffletio, et cum aliis mss. ecgraphis collata.*

1. Domino illustri et in Christo merito venerabili Pacato <sup>a</sup>, Uranius presbyter. Litteris nobilitatis tuæ iterata vice sollicitor, ut tibi obitum S. Paulini fideliter referam. Faciam quidem quod præcipis, sed timeo, ne non tam efficaciter ut vis, faciam, quod facere cupio. Tamen quia jubere dignaris, fideliter et sine mendacio faciam. Novi etenim melius esse linguam silentio premere, quam ad peccatum animæ falsa narrare, dicente Scriptura: Os, quod mentitur, occidit animam. Et ideo venerationem tuam plurimum quæso, ut imperitiæ meæ veniam dare digneris. Alioquin si tibi sermonis mei <sup>b</sup> vilitas cœperit displicere, non mihi, sed tibi rectius imputabis, qui aquam purissimi fontis a cœnoso rivulo postulasti. Sed hæc breviter dicta sint. Nunc autem veniamus ad ea, quæ

A tibi, qui vitam ejus versibus illustrare disponis, dicendi materiam subministrent.

2. Igitur S. Paulinus episcopus Burdegala oppido Galliarum oriundus fuit, sed in Campania <sup>c</sup> ad beatissimum Felicem confessorem glorioso fine defunctus atque sepultus est; ejus vitam ex merito mortis agnoscimus, cujus et mortem de conversatione vitæ probamus. Denique cum ante triduum quam de hoc mundo ad cœleste habitaculum vocaretur, cum jam de salute ejus omnes desperassent, et duo ad eum episcopi visitandi studio convenissent, id est, sanctus <sup>d</sup> SYMMACHUS, et benedictus <sup>e</sup> ACINDYNUS; ita in eorum adventu recreatus atque refectus est, ut oblita omni carnali infirmitate, totum se eis spiritalem atque angelicum exhiberet. Et quasi profecturus ad Dominum, <sup>B</sup> jubet sibi ante lectulum suum sacra mysteria <sup>f</sup> exhiberi: scilicet ut una cum sanctis episcopis oblato sacrificio, animam suam Domino commendaret: simul etiam et eos, quos pro disciplina ecclesiastica a com-

<sup>a</sup> Vossius de scriptoribus Latinis pag. 224 Parato scribit, nescio unde; cum edita et mss. passim scribant Pacato. Invenitur autem Latinus Pacatus, ut notat Chiffletius, qui Theodosio imperatori Romæ panegyricum dixit, post mortem tyranni Maximi, an. 411. Hujus fortasse filius (sæcularem potius laicam crediderim, quam clericum) Pacatus, adeo florenti vena fuerit, ut erudito isto sæculo præsumeret Paulinum versu laudare; eoque sensu ab Uranio dici num. 5: *Filium carissimum: ipsum vero Uranium, qui sancto morienti adfuit, quia (ut in line dicit) prima occasione festinabat abnavigare, conjectavit Chiffletius eum esse, quem an. 401 se a Delfino Burdegalensi episcopo tota æstate præstolatam scribit sanctus. Tunc enim juvenis presbyter, postea senior potuit ex aliqua occasione navigasse in Italiam, ad veterem amicum visendum, et hanc epistolam Nola domum scripsisse, ubi Pacatus degebat. Malim tamen juniorem ac forte nepotem alterius auctorem epistolæ.*

<sup>b</sup> Surius *Utilitati*, minus recte.

<sup>c</sup> Id est, apud ecclesiam S. Felicis: hic autem colitur 14 Januarii. Ms. Medicæum addit et *Martyrem*: sed licet Bollandus duos Felices Nola presbyteros distinguendos doceat; unum, filium Hermiæ Syri, Nola natum; Romanum alterum: utrumque tamen tenet solum confessorem fuisse: agitur autem hic de primo, secundus autem fuit etiam frater alterius Felicis martyris, unde nata confusio.

<sup>d</sup> Michael monachus, Sanctuarii Capuani pag. 194, testatur, quod in ms. calendario Thesauri Capuani hæc verba legerit: *xi cal. Novembris, S. Salomæ, S. Symmachi, episcopi Capuani et confess. et quia anniversario is celebratur ecclesia S. Mariæ majoris in Diocesi, spectandum exhibet musivum, in quo scriptum: SANCTA MARIA, SYMMACHUS EPISCOPUS; quod non nisi eo vivente sic scriptum est; ipsaque ecclesia non videtur posse antiquior credi nova Capua, intra quam consistit. Censet ergo monachus eum vixisse post annum dcccc, et fortasse circa dccccl. Quasi vero in restaurata sæculo x ecclesia non potuerit superfluisse musivum aliquod sæculi v. Hoc ille postea considerans, apud Ughellum in episcopis Capuanis*

num. 38, *Si quis, inquit, certa ratione motus vel probabili conjectura ductus, putaverit S. Symmachi nomen inter episcopos veteris Capuæ numerandum, ego jam nunc libenter adhæreo; et is cogitet rogo, num S. Symmachus videri possit esse ille Symmachus, qui S. Paulino episcopo Notæ morienti advit. Solo xxi millium seu septem horarum spatio distant Nola et Capua; ut nihil sit propius, quam adeo vicinum episcopum evocatum in tali casu; nihil autem absimilius vero, quam episcopum, qui tali in urbe tam solemnem habuit et etiam nunc habet cultum, ut ibi explicatur, vixisse sæculo x, et de ejus vita ac miraculis sciri fere nihil: ne quid autem Capuano Symmacho obstet Julianus, apud Gennadium vulgatum dictus pro hoc tempore Capuanus episcopus; notat Chiffletius, in Gennadio ms. legi Campanus: et hoc verosimile facit Prosper, cui pro anno 559 nominatur Julianus Atellanensis, jactantissimus Pelagii erroris assertor.*

<sup>e</sup> Ut Symmachus adjective sanctus, ita Acindynus hic dici videtur benedictus, titulus cuius episcopo olim cum viverent aptabilibus: interim substantive id accepit Surius, addens veluti adjectivum *Hyacinthinus*, pro quo Baronius in Annalibus conjectavit legendum *Hydruntinus*, licet Hydruntum fere cc. p. m. Nola distet. Nec tamen videtur proprium episcopi nomen *Hyacinthinus* esse, nusquam alibi inveniendum. Placet ergo Chiffletii conjectura, ex eo quod ecgraphum Medicæum habeat *benedictus ac indignus*, legendum suggerentis *benedictus Acindynus*. Habebat tunc Nola (præter Neapolim, cui Joannes I; et Atellam, cui prædictus Julianus præsidebat) vicinas urbes episcopales: in Campania quidem Aceram, Cumas et Puteolos; in principatu autem ulteriori ceteriorique Noceram, Cusentiam, Salernum, Avellinum et Beneventum: nulli earum assignatur episcopus, quem certo dicere possis vixisse an. 431: unicus Julianus Puteolanus pro anno 449 accedit propius: quidni ergo alienus illarum civitatum episcopus tunc *Acindynus* fuerit?

<sup>f</sup> Ita plures: Trevirensis codex *ministeria*; infra, *ministeriis*.

munione sacri mysterii extorres esse præceperat, ad pacem pristinam revocaret.

3. Et cum hæc omnia sanctus episcopus læto atque perfecto ordine celebrasset; subito clara voce interrogare cœpit, ubi essent fratres sui. Tunc unus ex circumstantibus, qui putavit quod fratres suos, id est, episcopos qui tunc aderant, quæreret; ait illi: Ecce, hic sunt fratres tui. At ille: Sed ego nunc fratres meos JANUARIUM atque MARTINUM dico, qui modo mecum locuti sunt, et continuo ad me venturos se esse dixerunt. E quibus JANUARIUS episcopus simul et martyr, Neapolitanæ urbis illustrat Ecclesiam; MARTINUS autem vir per omnia apostolicus, cujus vita ab omnibus legitur, Galliarum episcopus fuit. Et his dictis, extensis ad cœlum manibus, hunc psalmum Domino decantavit, dicens: Levavi oculos meos ad montes, unde veniet auxilium mihi. Auxilium meum a Domino, qui fecit cœlum et terram. Deinde collecta oratione, commonitus est a sancto <sup>a</sup> Postumiano presbytero, quod pro vestimentis quæ pauperibus fuerant erogata, quadraginta solidi deberentur. Quod cum audisset S. Paulinus, leviter subridens ait: Securum esto, fili; crede mihi quia non deerit qui debitum pauperum solvat. Et ecce, non longa mora ingreditur quidam presbyter, de Lucanæ partibus veniens, missus a sancto Episcopo <sup>b</sup> Exuperantio, sive a viro clarissimo fratre ejus Ursatio, qui ei per ipsum muneris gratia quinquaginta solidos miserant. Quos cum accepisset sanctus Paulinus, benedixit Dominum dicens; gratias ago tibi, Domine, qui non dereliquisti sperantem in te. De his autem quinquaginta solidis ipse presbytero qui eos exhibuerat, manu sua duos <sup>c</sup> dedit; reliquos vero negotiatoribus qui vestimenta pauperibus dederant, reddi mandavit.

4. Inter hæc autem cum jam nox diei successisset, usque ad mediam noctem paululum quieti concessit; donec crudescente dolore qui lateri ejus nimius inerat, excitatus, multis etiam ex superfluo archiatrorum ustionibus fatigatus, usque ad quintam <sup>d</sup> horam notis lassum atque anhelum pectus duxit. Deinde adveniente luce consuetudinem suam vir sanctus agnovit. Itaque, ut solebat, excitatis omnibus, matutinum ex more et ordine celebravit. Facta autem die, presbyteris et diaconibus atque omnibus clericis, exemplo

<sup>a</sup> Vides hic titulum *sancti*, non solum episcopis, sed et presbyteris dari: ac fortassis invenientur exempla, quibus ea appellatio toti clero fuisse communis doceatur.

<sup>b</sup> Nullus *Exuperantius*, alias etiam *Exuberantius*, occurrit toto tomo VII Ughelli, episcopos Lucanæ et Apulæ, quotquot inveniri potuerunt, complexo.

<sup>c</sup> Surius eumque secutus Baronius notarunt in margine, non *duos*, sed *decem* legendum videri; quasi pretium itineris justum tunc temporis videri nequeant duo. Ego nil mutandum censeo cum Chiffletio.

<sup>d</sup> Theodosius Ruheus, Horarium universale perpetuum condidit, ubi pag. 277 notans pro polo boreali elevato grad. 41 et 43 (inter quos est *Nola*, habens elevatum polum grad. 42) definit noctis spatium, a solis occasu usque ad ortum, pro die 21 Junii, horis 8 et minutis 56; unde consequens videtur, jam tum Nolanis horas numerari cœptas ab occasu solis, uti

dominico pacem hæreditariam <sup>e</sup> prædicavit: deinde quasi ex somno excitatus, lucernariæ <sup>f</sup> devotionis tempus agnoscens, extensis manibus, lenta licet voce, paravi lucernam Christo meo, Domino decantavi. Tunc deinde facto aliquandiu silentio, circa horam quartam noctis omnibus qui aderant sollicitè vigilantibus, subito tam ingenti cellula ejus terræmota concussa est, ut hi qui lectulo ejus assistebant, exterriti atque turbati ad orationem se cuncti jactarent, nihil tamen scientibus his qui pro foribus consistebant: neque enim publicus ille, sed privatus in cellula fuerat terræ motus. Ille angelicis susceptus manibus debitum Deo spiritum exhalavit.

5. Vidimus (fili carissime), vidimus, et inter lacrymas atque singultus vidisse gaudemus; vidimus quomodo tollitur justus, et nemo intelligit: et viri justi tolluntur, et nemo considerat. Neque ulli Christianorum incredibile debet videri, si in transitu sancti Paulini, unus angulus specialiter terræ motu concussus est, in cujus obitu totus pene orbis ingemuit. Et sane quis locus est in orbe terrarum tam remotus aut abditus, quem transitus domini Paulini non commoverit? Flevit plane Ecclesia, quod talem sacerdotem amisit; sed exultat paradisi, quod talem sanctum suscepit: plangunt populi, sed lætantur angeli: gemunt provinciæ hominum, sed gaudent loca sanctorum ad quæ quotidie evolare cupiebat, cum diceret; Quam amabilia sunt tabernacula tua, Domine Deus virtutum! concupiscit et deficit anima mea in atris tuis.

6. O virum sanctum et omnium ore laudabilem, qui sic vixit ut non sibi tantum, sed omnibus viveret! Et ideo quia multis vixit in hoc sæculo, nunc sibi vivit in Christo: et tamen non sibi tantum, sed etiam nobis, quia quotidie orat pro nobis. Fuit denique lucerna ardens in domo Dei, non sub modio posita, sed super candelabrum constituta; ita ut etiam multas lucernas suo præclaro lumine redderet luminosas. Suavis enim et mitis fuit, etiam cum in superbia sæculi versaretur. Cum autem ad Christum conversus est, aperuit horrea sua pauperibus, apothecas suas advenientibus patefecit. Nam parum ei erat proximos alere, nisi etiam undique evocaret quos pasceret atque vestiret. Quantos captivos redemit! quantos intricatores <sup>g</sup> debiti a creditoribus suis reddita pecu-

hodie dum faciunt omnes Itali, contra communem ceterarum gentium transmontanarum usum, a media nocte horas numerare incipientium: sic enim hora quinta diem habuissent Nolani; nunc autem tali die, hora quinta iis comparabitur cum hora prima post noctem mediam.

<sup>e</sup> *Hæreditarium* intelligo, *perpetuam*, vel qualem Christus suis pro hæreditate se relinquere dixit, Joan. xiv, 27.

<sup>f</sup> *Lucernarium* Latini dicebant, preces fundendas, cum occidente sole accendebantur lucernæ; quas preces vespere præmitti solitas docet Magrius. Nunc cum vespere ante solis occasum persolvuntur, Lucernarii loco successit *completorium*, post vespere dicendum.

<sup>g</sup> Omnibus exemplis hic convenientibus, non audeo mutare et legere, *intricatos debitis*; ergo *intricatores debiti* eos intellige, qui, quia solvendo se seu-

nia liberavit! una scilicet pietatis negotiatione et A planctus debitorum extersit, et creditorum gaudia reparavit.

7. Cum autem ad summum sacerdotii gradum pro-  
 ductus esset, noluit talem se exhibere episcopum qui  
 ab aliquo timeretur; sed talem se reddidit sacerdo-  
 tem qui ab omnibus amaretur. Nunquam sic iratus  
 est, ut non in ira misericordiae memor esset: neque  
 enim poterat vir ille irasci, qui contumelias despicie-  
 bat, et odia vitabat. Nunquam in iudicio sine mise-  
 ricordia sedit, quia noverat misericordiam meliorem  
 esse quam sacrificium; misericordia vestiendum esse  
 omne Christianorum iudicium, dicente venerabili  
 Scriptura: Misericordiam et iudicium cantabo tibi,  
 Domine. Justitiam quoque votis benignioribus tempe-  
 rabat; sciens quoniam Spiritus sanctus quantum B  
 aequitati et iustitiae favet, tantum suis gratiam pieta-  
 tis benignus indulget: et ideo tenebat rigorem in  
 examinatione iustitiae, misericordiam autem in defi-  
 nitione sententiae proferebat.

8. O admirabilem virum atque omnium virtutum  
 a laude censendum! Hic etenim omnium patriarcha-  
 rum exempla secutus, fuit fidelis ut Abraham, credu-  
 lus ut Isaac, benignus ut Jacob, munificus ut Melchi-  
 sedech, providus ut Joseph, rapax ut Benjamin: ra-  
 puit enim divitibus, et pauperibus erogavit; et tamen  
 plus divitibus quam pauperibus profuisse cognoscitur,  
 quia pauperibus in hoc saeculo profuit, divitibus au-  
 tem in futuro providit. Ergo (quia dicere coeperam)  
 fuit mansuetus ut Moyses, sacerdotalis ut Aaron, in-  
 nocens ut Samuel, misericors ut David, sapiens ut C  
 Salomon, apostolicus ut Petrus, amabilis ut Joannes,  
 cautus ut Thomas, doctor ut Paulus, videns ut Ste-  
 phanus, fervens ut Apollo: de sollicitudine autem et  
 cura Ecclesiarum, in fide et caritate omnes apostolos  
 et episcopos imitatus est. Haec omnia in se habuit,  
 haec in tempore conversationis suae fideliter custodi-  
 vit. Et ideo cum de hoc corpore ad caeleste habita-  
 culum vocaretur (sicut superius dixi), doluit terra,  
 sed letatum est caelum; flevit caro, sed spiritus glo-  
 riatur.

9. Denique non solum Christiani, sed etiam Judaei  
 atque pagani, ingenti fletu, scissis etiam vestibus ad  
 domini Paulini exsequias convenerunt: ereptum sibi  
 patronum, defensorem, tutorem una omnes nobis: um  
 voce planxerunt. Et vere talis erat, ut ab omnibus  
 amaretur: vixit enim cunctis in exemplum acquirenda  
 salutis, et in refrigerium consolationis. Neque

tiunt non esse, ipsum debitum studiose intricant: et  
 huc spectare etiam videtur gaudium creditorum, mo-  
 restis illis tricis expeditorum.

<sup>a</sup> Ms. Medicarum, omnium sanctorum, quod aequae hic  
 congruit.

<sup>b</sup> Idem solum hic interserit, quae de servitute Wan-  
 dalica habet Gregorius in dialogis, et quidem ut ab  
 Uranio scripta: quod Possivinum in Apparatu decepit;  
 cum ipse Gregorius allegat auditos a se rei illius tes-  
 tes quorum, inquit, me necesse est grandaevitati tam  
 certo credere, ac si ea quae dixerunt meis oculis vidi-  
 sem: aliter vero loquitur Gregorius de terrae motu

enim solius hae mea vox est: testes sunt omnes  
 provinciae, testis est omnis terra quam Romanus orbis  
 includit; testes etiam sunt barbarae nationes, ad quas  
 fama Domini Paulini pervenerat. Nec immerito ab  
 omnibus amabatur, qui aderat omnibus. Quem enim  
 jacentem non sua dextera erexit? quem interpellau-  
 tem se non pia voce consolatus est? Erat enim pius,  
 misericors, humilis, et benignus: nullum spernens,  
 nullum despiciens; omnibus tribuebat, omnibus in-  
 dulgebat: animabat trepidos, mitigabat violentos;  
 hos verbis, illos aedificabat exemplo: alios epistolis,  
 alios sumptibus adjuvabat. Nullas opes, nullas divi-  
 tias, nisi quas sanctis suis Christus promiserat, mira-  
 batur. Aurum atque argentum, et caetera sic definie-  
 bat, ut ea sibi ad largiendum liberalitas, non ad reti-  
 nendum cupiditas vinclicaret. Et, ut breviter dicam,  
 omnia bona in se habuit, quia Christum amavit: ha-  
 buit enim fidem, mansuetudinem, curam proximorum;  
 jugem pro miseris sollicitudinem, compassionem pro  
 infirmis; nihil aliud respiciens nisi pacem et carita-  
 tem: solus namque mendicabat, ut omnibus abunda-  
 ret. Denique quis locus est in orbe terrarum, quae  
 solitudo, quae maria, quae S. Paulini beneficia non  
 senserunt? Omnes eum agnoscere cupiebant, omnes  
 videre desiderabant. Quis ad illum non letus adve-  
 nit? aut quis ab illo non desideraturus abscessit?  
 Nam qui corpore eum videre non poterant, saltem  
 ejus epistolas contingere cupiebant. Erat enim suavis  
 et blandus in litteris, dulcis et bene suavis in versibus.  
 Quid plura? Vix quaecunque de illo dicuntur, admit-  
 teret credulitas fidei, nisi propellerent sua facta men-  
 dacium. Taceamus generis nobilitatem, paternis ma-  
 ternisque natalibus in senatorum purpuras admira-  
 biliter rutilantem: praeterea et opulentias divitiarum,  
 quas propter Deum pauperibus erogavit. Nunc venia-  
 mus ad ea <sup>b</sup> quae de obitu ejus dicere coeperamus.

10. Igitur cum sanctus Paulinus debitum Deo spi-  
 ritum reddidisset, ita niveo candore vultus ejus et  
 omne corpus affectum est, ut omnes inter singulos  
 et lacrymas benedicerent Dominum Deum nostrum,  
 qui educit sanctos suos in magnificentia, ut ostendat  
 servis suis quia haec est gloria omnibus sanctis suis:  
 et ideo laudetur in Deo anima ejus, et revelentur  
 opera ejus in omnibus timentibus Deum, quia concu-  
 pivit in mandatis Dei sui, et intellexit super egenum  
 et pauperem, ut potens esset in terra semen ejus, et  
 justitia ejus maneret in saeculum saeculi.

11. Verumtamen et hoc quod ad meritum sancti

quo cubiculum tremuit, de cujus, inquit, etiam obitu  
 apud ejus ecclesiam scriptum est, nempe in vel ex hac  
 Uranii epistola. Apparet etiam assuti aliunde panni  
 hinc connexio dum dicitur: Nunc veniamus ad ea  
 quae gesta sunt. Dum scriverentur Wandalorum tem-  
 pore. Ubi si pro puncto substituas comma, reliqua  
 periodus imperfecta pendebit, et quasi suo carebit  
 capite. Finito autem interpolamento resumuntur  
 hic intercesa verba, repetendo priora: sed nunc  
 veniamus ad ea; et subjungendo his immediate se-  
 quentia, quae de obitu ejus dicere inceperamus.

Paulini pertinet, veneratio tua debet agnoscere, quod etiam sanctus Joannes Neapolitanæ urbis episcopus, a domno Paulino de hac vita ad Christum accersitus atque evocatus agnoscitur. Nam ante diem tertium quam de hoc mundo sanctus Joannes ad Dominum migraret, retulit se vidisse sanctum Paulinum, angelica dignitate vestitum atque ornatum totum niveum, totum sidereum, atque odore ambrosio renidentem : favum etiam candidissimum mellis in manu tenentem ac dicentem sibi: Frater Joannes, quid hic facis? Solve vincula tædiorum tuorum, et jam ad nos veni : hæc enim esca quam in manu teneo, apud nos satis abundat. Et cum hæc dixisset, complexus est eum, et immisit in os ejus partem favi illius : cujus dulcedinem atque odorem ita sanctus Joannes concupisse se dixit, ut si sibi in ipsa revelatione potestas fuisset, ab ejus vestigiis nullo modo recessisset. Et tamen non diu dissimulavit : nam excitatus a somno, eadem die, id est, quinta feria, juxta consuetudinem suam remunerans omnes clericos atque pauperes, sanus dominicam cœnam celebravit : sexta vero feria orationi vacavit, sabbato autem, secunda hora diei,

<sup>a</sup> Chiffletius cap. 30 pluribus disputans, ostendit Joanni non IV, sed I hæc convenire, contra recentiores quosdam, hæc interpolata esse censentes, quia Uranii epistola in aliquot vetustissimis mss. reperitur absque hac de Joanne narratione qua et am abstinet S. Gregorius Turonensis, fere verbatim Uranium describens. Sed ut potuerit epistola hæc interpolari, potuitne etiam Joannes Diaconus, qui episcoporum Neapolitanorum Chronicon conclusit in Athanasio Juniore, Joannis IV successore, huic (cujus vitam prolixè describit, qualis a nobis data est 1 Aprilis) detrachere tam insignem laudem et ascribere primo; nec in epistola Uraquii recentissimum interpolamentum agnoscere? Vixit autem Joannes IV usque ad an. 853, et Diaconus sub exitum sæculi ejusdem scripsit. Fieri tamen potest, ut Uranius (quem ægre crediderim mortuo Paulino ad integrum annum Nolæ hæsisse, ut hæc post anni proximi Pascha ibi scriberet), fieri inquam potest, ut Uranius pridem scriptæ et ad Pacatum missæ epistolæ, hoc de Joanne postea addiderit cum ei reverso Burdegalam ex Italia nuntiata esset res acta Neapoli, non dico sequenti post discessum anno, sed posteriorum aliquo. Atque hinc orta sit illa exemplarium, a Cioccarello allegatorum, diversitas. Quod autem Joannes Cimeliarcha, in altera dicti Joannis IV vita, quasi Diaconi errorem correcturus applicavit ei apparitionem Paulini, non multum nos commovet, quia Cimeliarcha iste scripsit an. 1362, adeoque multo minoris est fidei. Dixerim ergo Joannem I, qui defunctus in Sabbato sancto, depositus sive sepultus tanquam sanctus fuit ipso die Paschæ, colitur autem 1 Aprilis, non obiisse an. 432, proximo post obitum Paulini, ut passim scriptores volunt D

ad ecclesiam lætus processit, et ascenso tribunali ex more populum salutavit : resalutatusque a populo, orationem dedit : et collecta oratione spiritum exhalavit. Ea tamen nocte in ecclesia vigilatum est. Postera autem die, id est Paschæ, illuminatis læm; adibus, cum ingenti neophytorum pompa, prosequente etiam multitudine populorum, usque ad sepulcrum, gloriosam atque laudabilem sepulturam adeptus est.

12. Hæc ideo commemoravi nobilitati tuæ, ut etiam hic meritum S. Paulini agnosceres : habes enim materiam dicendi, si tamen non desit fides credendi. Et ideo quæso nobilitatem tuam, ut, sicut promittere dignatus es, præclari operis munus accelerare digneris; consecuturus præmia laudis et gloriæ, si vitam sancti viri, posteris profuturam, versibus illustraveris. Utinam antequam proficiscaris, hujus operis lectione dignum me facias : quia si Christo placuerit, continuo navigare dispono. Obiit S. Paulinus episcopus decimo calendis Julii, Basso et Antiocho VV. CC. consulibus c.

(iste enim annus habuit Pascha 3 Aprilis), sed potius a. 440, 51 Martii, quando celebratum fuit Pascha 1 Aprilis, unde etiam calendarium unum quod vidit Cioccarellus, ipsum pont die ultima Martii, licet alii maluerint diem sollemnis depositionis tenere. Joannes vero IV, quo præcise anno et die obierit, ignorari existimo tacente id Diacono: ideoque assumptum diem, quo inveniebatur fastis ascriptus primus; idque auctoritate Joanni Cimeliarchæ, credi volentis tunc sepultum quartum : unde corrigas quæ minus distincte diximus de utroque 1 Aprilis. Agnosco autem vetustiore cultum primi obliteratum fuisse cultu quarti, cujus notior erat quam primi vita, ideoque etiam celebrius nomen; sed ætate Cimeliarchæ f. erit instituta veneratio annua quarti, et quidem cum præjudicio primi.

<sup>b</sup> Orationem colligere is, puto, dicitur qui pluribus precibus recitatis demum subiungit, Per Dominum nostrum, etc. unde et Collectæ dicantur, quia post alteram principalem in sacro sic collectim leguntur, sub uno (ut vulgus loquitur) Per Dominum.

<sup>c</sup> Merito hic quærit Chiffletius, quemnam illa esse potuerit pompa neophytorum, tempore Joannis IV, quando Neapolis tota erat Christianissima, neque ad ætatem adultam differebatur baptismus, sicut tempore primi.

<sup>d</sup> Hæc conclusio non minus apte legeretur post num. 10, quam post hunc 11, ut vel inde verosimilius fiat, eam ab Uranio vel Nolano aliquo ipsi cœvo, statim post rem gestam ibi positam esse, non ab initio adfuisse.

<sup>e</sup> Id est, anno Christi 431.

ANNO DOMINI CCCL.

# EUSTATHIUS.

(Ex Cave.)

Eustathius, quem virum disertissimum vocat Casiodorus (Divin. lect. cap. 1), cujus etiam meminit

Sigebertus (De Script. cap. 21), claruit circa an. 440. Sedulii poetæ æqualis. Transtulit e sermo a Græco S. Basilii homilias 9 in Hexæmeron in Lati-